



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**COLLA=||TIONVM SACRA-||RVM LIBRI VIII.**

**Bredenbach, Tilmann**

**Coloniae, 1584**

**VD16 B 7375**

Cap. 1. De prædio ab infestatione malignoru[m] spirituum liberato per oblationem sacrificij corporis Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52445](#)

LIBER PRIMVS  
**DE VARIIS**  
ILLVSTRBVS MIRACVLIS, QVAE SPARSIM AB  
HISTORIOGRAPHIS, ALIISQVE  
authēticis authoribus referuntur de  
Ven. Sacramento SS. Eu-  
charistiae.

*Augustinus de cinitate Dei ad Marcellinum  
lib. 22. cap. 8. de prædio ab infestatione malignorum spirituum liberatio per oblationem  
sacrificij corporis CHRISTI.*

CAP. PRIMVM.

**V**IR tribunitius Hesperius, qui apud nos est, habet enim in territorio Fussalensi fundum Zubedi appellatū, ubi cū afflictione animaliū & seruorū suorū domū suam spirituum malignorū vim nox iam perpeti comperisset, rogauit nostros me absente presbyteros, ut aliquis eorum illo pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit unus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, ut cessaret illa vexatio: Deo protinus miserante cessauit. Acceperat autem ab amico suo terram sanctam de Hierosolymis allatam, ubi sepultus Christus die tertio

A resu-

2 COLLATION. SACRAR:

resurrexit: eamq; suspenderat in cubiculo suo,  
ne quid mali etiam ipse pateretur. At ubi do-  
mus eius ab illa infestatione purgata est, quid  
de illa terra fieret cogitabat: quā diutius in cu-  
biculo suo reuerentiæ causa habere nolebat.  
Forte tunc accedit, vt ego & collega tunc meus  
Episcopus Synicensis Ecclesiae Maximinus in  
proximo essemus: vt veniremus rogauit, & ve-  
nimus. Cumque nobis omnia retulisset, etiam  
hoc petiuit, vt infoderetur alicubi, atque ibi or-  
ationum locus fieret: ubi etiam Christiani pos-  
sent ad celebranda, quæ Dei sunt, congregari.  
Non restitimus: factum est. Erat ibi paralyti-  
cus rusticus, qui hoc audito, petiuit à paren-  
tibus suis, vt illum ad eum locum sanctum non  
cunctanter afferrent, quòd cùm fuisset allatus, o-  
ravit, atque inde continuò pedibus suis saluus  
abscessit.

*Albertus Crantzus lib. i. cap. 9. Eccles hist. de  
VV edekindo Saxonie Duce qui sub sacrificio  
Misse vidi speciem elegantis pueruli  
in Eucharistia: quo miraculo commotus. Chri-  
stianam religionem amplectitur, Min-  
densis Episcopatus primariaciens fundamēta.*

C A P. II.

**I**NCESSIT cupido Principi Saxonum VVede-  
kindo, lustrare regis Caroli Magni castra:  
quod et si palam iam reconciliato liceret, li-  
buīt